

SECTIO XXXIX.

Indeficiens, atque indefessum divina gratia lumen, ne deficiat, ne defatigetur, indeficientem, & indefessam nostram desiderat cooperationem.

1051 **A** Perimus supra, per lumen indeficiens, seu, ut Figurina effert, indefessum, designari divinam gratiam, quæ genus quoddam lucis est de se quidem indeficientis, & indefessæ, cum de se nullum habeat corruptionis principium. Cæterum illud extra omnem sit dubitationem; ne in nobis hoc indeficiens, & indefessum lumen deficiat, ac defatigetur, requirit indeficientem, & indefessam cooperationem nostram. Si verò hæc desideretur, nostrique studii iuvamen absit, deficiet quasi fatigata ex socordia nostra, ipsa Dei gratia. Mulieri cuidam de uxoribus Prophetarum, ut æs alienum, quo gravabatur, dissolveret, concessit Elisæus olei copiam. Nunquam defuisse oleum, ait sacer textus, quandiu vasa implenda non defuerunt: *Cumque plena fuissent vasa, dixit ad filium suum: Affer mihi adhuc vas: & ille respondit: Non habeo. Stetitque oleum. Verè stetit, seu defecisse oleum dicitur; sed non per oleum, sed per vasa, quæ defuerunt, stetit: defecerunt vasa, idè oleum defecit; indeficiens & indefessum infunderetur oleum, si vasa non defecissent. Quid verò hæc nos erudunt? Offendit præclare S. Bernardus in Serm. 6. de Ascensio. Domini. Unde spirituum gratia inopia tanta quibusdam; cum aliis copia tanta exuberet? Profectò nec avarus, nec inops est gratia distributor; sed ubi vacua vasa defunct, stare oleum necesse est. Sanè, indeficienter, atque indefessè infunditur divinæ gratiæ oleum; ut indefessum & indeficiens lumen in nobis accendat & enutriet; si tamen per nos, nostramque cooperationem non steterit.*

1052 Monebat sapienter quidem Paulus ad Hebræos scribens c. 12. 14. *Sanctimoniam sequimini, sine qua nemo videt Deum: contemplantur, nequis desit gratia Dei.* Prosequimini, ex Græco veritas, *persequimini.* Id est, enim toti conatu, totis viribus, otio persequato, gratiæ cooperari, sanctimoniam, sanctificationi, seu animi puritati, ut gloria deliciis perfruamini. *Contemplantur, ne quis desit gratia Dei.* Erasmus vertit: *ne quis sit, qui deficiat à gratia Dei.* Estius ex Græco transfert: *ne quis sit deficiens à gratia Dei.* Nostrer Ribera verbum verbo vertit: *ne quis deseratur à gratia Dei.* Verti etiam poterit: *ne cui deficiat gratia Dei.* Quid hoc est? Num nobis aliquando ipsa Dei gratia deest, ac deficit? Deest planè ac deficit: sed postquam nos ab illa defecimus desidiam torpentes, nec illi cooperantes. Ut enim S. Augustinus ait Serm. 88. de Tempore: *Nunquam prius Deus deserit hominem, nisi prius ab homine deseratur.* Et S. Prosp. Aquitan. in Responso. ad 7. objectionem Vincentianam: *Deus, proutquam deseratur, neminem deserit.* Ut igitur indeficiens nobis sit, atque indefessum gratiæ lumen, enitamur sagaci curâ indeficienter & indefessè gratiæ cooperari.

1053 Spectans tempus Evangelicum Sophonias c. 3. 9. agebat: *Servient ei humero uno. LXX.* vertunt; *sub uno iugo.* translatione sumpta ab eo studio, quo multi vires colligunt, ut magnam aliquam molem promoveant: aut certè

à bobus, sive equis, qui totis connixi luminibus jugum sustinent, plausrum trahunt, & pondus interdum importabile. Hic verò significatur, fideles populos edo connixuros, & collaboraturos, ut humero uno, & sub uno iugo, Christianæ legis pondus, & æternæ salutis molem ferant; hic enim opus, hic labor est. Hieronymus ibi sic interpretatur: *Sub iugo Christi dicentis, Jugum meum suave est, & onus meum leve.* Matt. 11. 30. Inquiri tamen; cur non utroque humero, sed altero tantum tam iagens latum pondus homines dicantur? Arridet multorum mens, quos refert & sequitur Hadrianus Fimus lib. 6. Flagelli adversus Judæos c. 24. Quia scilicet pondus novæ legis, & æternæ salutis molem, partim Christi Domini, partim reliquorum hominum humeris portandum erat, ita ut Deus ipse per suam gratiam operaretur opus salutis nostræ; sed & homines pariter cum illo cooperarentur. Non solum hominis, nec solius Dei, sed utriusque cervicibus tantum onus incumbit. *Dei enim sumus adutores,* ut Paulus scribit 1. Corinth. 3. 9. vers. 9. Syriacus legit; *cum Deo operamur.* Et S. Bernard. in Tract. de Gratia & libero arbitrio S. Bernard.) columna antepenultima verit: *Coadutores enim Dei sumus: & cooperatores Spiritus sancti.* Et de cooperante gratia dicitur Sapient. 9. 10. *Mitte illam de cælis sanctis tuis, ut mecum sit, & mecum labore.* Expende modò, quis prior ab onerum communi tolerantia deficiat. Deus nè, an homo? Homo quidem, qui dum non cooperatur divinæ gratiæ, jugum è cervicibus excutere videtur, tanquam efferus, atque indomitus taurus. Hæc illa est Dei querela apud Jerem. 2. 19. *Scito, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum.* A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: *Non serviam.* Ex Hebræo omnes fermè Juniores legunt: *Confregi jugum tuum: rupi vincula tua.* Et (id est, quia) dixisti: *Non serviam.* Etenim dum homo, suo illo utens libertatis ardore, dicat nolle se Deum jam amplius imperio subesse, jugum excutit, & onus legis, & salutis æternæ è dorso; & amoris vincula, quibus nos Deus sibi alligavit, dirumpit. Sic homine à gratia Dei deficientem, ac Deum deserentem ei deficit, ac deserit ipse Deus; qui dum humerum suum iugo subtrahit ferendo, neque alligatur homini socordiam torpenti, nec ejus gratiæ cooperanti; jugum confregisse, & vincula rupisse dicitur: quia dixisti: *Non serviam.* ut discamus, quanti sit emolumenti gratiæ Dei cooperari, ut gratia ipsa nobis perflet indeficiens, atq; indefessa.

1054 Decem Virgines memorat Evangelista Matthæus c. 25. 1. quarum quinque erant fatuæ, & quinque prudentes. In quo, quæso, horum prudentia resplendet, & illorum appareret fatuitas? In eo planè, quod cum omnes ardentes lampades accepissent, fatuæ, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum; prudentes verò acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. Unde, prudentes oleum infundentes, inextinguibiles lampades conservarunt, fatuarum verò lampades, quæ olei penuriâ extinguiebantur, extinctæ tandem sunt. Ast, quid per lampades, quid per oleum hic designetur, sacri quærunt Interpretes. Placet illorum mens, existimantium ardentem lampades esse fidem, charitatem, & gratiam in Baptismate acceptam: oleum autem bona virtutum opera. *Lampades* (ait S. Hilarius Canone 27. in Matth. S. Hilarius. anima-

animarum splendentium lumen est, quæ Sacramento Baptismi splendentur: oleum boni operis est fructus. Certè, à Deo inextinguibile suapte natura, indeficiens, & indefessum gratiæ lumen, accepimus. Qui hic gratiæ cooperatur, quasi oleum infundunt, & præ manibus inextinguibiles lampades ferunt. Qui verò cooperari desunt, inerti torpentes quasi oleum lucernæ eximunt, & lucernam extinguunt. Defecit cooperationis oleum, quid mirum deficiat deinde lumen gratiæ de se inextinguibile. Hinc Pauli monitum 1. ad Thessaloni. 5. 19. *Spiritum nolite extinguere.* Quod sic præclare illustrat S. Chrysostomus ibi in Homil. 11. *Tradidit nobis Deus lampadem illustræm, incensam Spiritus sancti gratiam in animabus nostris. Sed hanc lucem bi quidem, qui eam amplexi sunt, splendidiorem fecerunt, & claram, utpote Paulus, Petrus, et sancti omnes: (en ubi prudentes Virgines) quidam verò extinxerunt etiam, ut nunquam illa Virgines.*

1055 Huc referas objectum illum Vati Zachariæ candelabrum ex auro solido, in quo septem viscebantur lucernæ, & totidem infusoria, seu canales, per quos oleum cuilibet suppeditabatur lucernæ. Adstant hinc inde duæ olivæ, altera à dextris candelabri, altera à sinistris: *Et duæ olivæ super (iuxta) illud: una à dextris lampadis, & una à sinistris ejus.* Quasi ex illis oleum exprimeretur, & fluxerit, quo lucernæ jugiter foverentur, emicarent, & viverent. Quorsum igitur hæc? S. Hieronymus in septem lucernis gratias Spiritus sancti intelligit. Olivarum autem umbrâ designari suspicor fideles omnes, qui cum Laide dicere jure merito possunt, se esse olivæ similes Psal. 51. 8. *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Dei.* Quasi pietatis operarius. ait ibi S. Basilius. Ut enim lucernæ ab oleo habent, quòd jugiter luceant, & ardeant, & quodam modo vivant; sic Spiritus sancti gratiæ, si pietatis operari simus, & gratiæ cooperatores, à nota ipsorum opera, & solerti cura, jugiter emicabunt, & indeficienter fulgentissimam flammam fundent.

1056 Hinc sedere dicitur Deus super Cherubim, Psal. 79. 2. & Pl. 98. 1. cum in v. u. planè ad Cherubinos propitiator, ubi Deus stabilem sedem habebat. 1. Reg. 4. 4. *Tulerunt arcam faderis Domini sedentem super Cherubim.* Sed quamobrem signatim sedere dicitur Deus super Cherubim? Nonnè Seraphim quoque dignam Deo sedem subministrant? Etenim Cherubini illis homines Cherubicæ sanctitatis consortes portendebantur, in quibus stabilem divinæ suæ gratiæ thronum sibi elegit ad requiescendum. *Sedebat Deus* (ait eo loco Rupertus c. 13.) *captus, vel delectatus pulchritudine auri; & non potius super homines pleenos scientia Dei.* Ac si dicat; Non tam oblectabatur Deus stabili illo Cherubinorum folio, quam internâ animorum nostrorum sede; dummodo pleni scientiâ Dei simus, practicâ nempe ad virtutum exercitium spectante, & Deo per suam gratiam adstanti cooperante. Quod bellè designatur ipsâ Cherubinorum materiâ & statura, de quibus 3. Reg. 6. 23. *Et fecit in oraculo duos Cherubim de lignis olivarum, decem cubitorum altitudinis.* Oleaginea materia ad virtutis opera spectat; statura verò decem cubitorum ad perfectam decem præceptorum observantiam, ut communis fert interpretatio. Sedem ergo Deo, ejusque gratiæ firmam, stabilem & perpetuam ministrabimus;

si oleaginei simus, toti bonis operibus in eam ac gratiæ cooperantes; si ad decem cubitos erecti divinis præceptis commensuremur. Hic illa Augustini verba in Psal. 46. *Animæ iusta regalis est sedes sapientiæ. Et revera omnes homines, qui bene vivunt, qui bene agunt, qui secundum charitatem per omnia conversantur, nomine Deus in illis sedet?*

1057 Commendatur Christianæ Ecclesie magna sub sollicitæ, & iustitiæ molieris typo Prov. 31. & v. 17. hoc reliquis adnectitur elogium: *Accinxit fortitudine lumbos suos, & roboravit brachium suum. Gustavit, & vincit, quia bona est negotiatio ejus: non extinguitur in nocte lucerna ejus.* In primis præcinctam illam describit; deinde verò ei dat inextinctam lucernam. Quid hoc? Certè, ex verum usu, quoties collaborandum erat, oblongas vestes, quibus utebantur, colligebantur ad lumbos in zonam, ut sic ad opera essent expeditissimi. Ut autem exprimeretur, quam intentâ sit omni virtutum generi, & gratiæ cooperacioni fortis, & industria Ecclesia in suis fidelibus; accinxisse fortitudine lumbos suos dicitur, & brachia roborasse, excussisse, exercuisse, & ad opera expeditissime. *Succinxit fortiter lumbos* (ait ad illa verba S. Augustinus Serm. 45. de diversis) *firmavit brachia sua verè fortis. Vide si non est ancilla, quam devotè serviat, quam paratè; ne fluctuantis sinit carnalium concupiscentiarum impediunt operantem, succinxit lumbos ut nihil superfluum calcet, dum in opere festinat.* Hoc quid aliud est, quàm susceptæ gratiæ cooperari solerti & indefessæ curâ? Quid ergo subinde commodi, & laudis? Gustavit & vidit, quoniam bona est negotiatio ejus: non extinguitur in nocte lucerna ejus. LXX. In eptres vertunt: *Gustavit quia bonum est operari, & non extinguetur lucerna ejus totam noctem.* Usu didicit ipso, quaestuosam valde, & frugiferam esse operationem & cooperationem suam: nam divinæ gratiæ cooperando, indeficiens, atque indefessum ejusdem gratiæ lumen ei aderat: *Non extinguetur lucerna ejus totam noctem: id est, toto hujus sæculi tempore, quod noctis voce solet designari.* Unde S. Bernardus in 2. de Assumptione, hoc dictum putat: *In suggillationem Virginitatis, que veniente media nocte sproso, conqueruntur serò, & dicunt; quia lampades nostræ extinguntur.* Sanè, non illis divinæ gratiæ fax unquam deficit, imò verò viva semper, atque splendida perseverat, qui virtutum operibus invigilantes, gratiæ ipsi cooperantur. De qua idem Salomon sibi consonans dixerat Prov. 20. 27. *Lucerna Domini spiraculum hominis.* Quod de gratiæ lumine explicat Sanctus Gregorius lib. 9. Moral. cap. 25. *Lux enim gratiæ spiraculum homini præstat ad vitam.*

1058 Quò referas illud Christi monitum Luc. 12. v. 35. *Sint lumbi vestri præcincti, & lucerne ardentes in manibus vestris.* Quid sit habere lumbos præcinctos, multi quærunt. Placet data proximè interpretatio, cui ad hæc verba adhaeret Titus Bostrorum Episcopus in Lucam: *Vult bene animo prompto & ad quodvis bonum, & laude distiguit opus obeundum paratos nos esse.* Per lucernas verò ardentes superiori igne, gratiam Spiritus sancti significari putat S. Bruno Carthusiensis in Serm. 5. de Confessoribus. In ubi qua ratione fax divinæ gratiæ nobis sit indefessa, indeficiens, & inextincta, si nimirum ei corporemur bonis operibus intenti, quavis fugatâ socordia.

3. Thessal. 5. vers. 19.

S. Chrysost.

S. Chrysost.

S. Basil.

1. Reg. 4. 4.

Rupert.

3. Reg. 6. 23.

S. August.

Prov 31. 17.

Ecclesia præcincta describitur, & cum iuncta lucernam, id est, suscepta gratiæ cooperacione struuntur.

S. August.

Quæstio præcincta operario, in supplicationem virginum factam.

S. Betti.

Prov. 20.

vers. 27.

S. Gregori.

Lut. 12. 35.

Quid sit lumbos præcinctos, & lucernas habere.

S. Brun.

Verl. VII.

Ego in altissimis habitavi, & thronus meus in columna nubis.

ARGUMENTUM.

MAJESTAS REGIA.

1059 Post natales nobilissimos, post primam rerum omnium fabricam a luce auspiciatam, regia planè in Jesu, atque ejus Matre Deipara, cœpè agnoscitur Majestas. Unde illi suam hic Majestatem regiam commendant; primo ab altissimo habitaculo; deinde à throno suamè magnifico. Utrumque habent in cœlis vel à mundi exordio; utrumque olim in veteri Synagoga, & nunc in Christiana Ecclesia.

Textus enodatus.

In primis præjectum Versiculum sic vertit Joannes Drusus: Ego in excelsis fixi tabernaculum; & solium meum in columna nubis. Et observat tabernaculum, sive tentorium pro domo usurpatum inveniri. Camerarius legit: Meum tabernaculum est in excelsis; & mea sedes in nubibus. Tigurina transfert: Ego in sublimi sedem cepi, & solium meum super columnam nubis collocavi. Syrus ita: Ego in excelsis superiorum tabernaculum meum posui, & sedes mea in columna nubium.

1060 Deinde, non una est horum verborum intelligentia apud Interpretes sacros. Lyranus, cui adherent nostri Cornelius, & Oliverius, arbitratu divinam sapientiam dici in altissimis habitare; disponendo caelum empyreum, quod mox ut creatum est, Angelis fuit repletum. In columna autem nubis thronum habere nihil esse putat, quam potestatem in nubium generatione, & dispensatione ostendere. Jansenius capit de altissima Dei moderatione circa res omnes, quæ præsertim relucet in nubibus, unde tonitrua, ventos, imbrem, grandinem, fulgura & fulmina mittit & vibrat. Palacio de sapientia gloria exponit priora verba; posteriora verò de Majestate, qua nobis conspicua est, & spectabilis mediâ nubium naturâ, & effectibus. Dionysius Carthusianus ita explicat: In altissimis habitavi, id est, in corde, & sinu Patris. Item in Angelicis mentibus, illis præsertim, qui throni dicuntur. In caelo quoque empyreo, & rursus in caelis. Reliqua verba capit de Dei gubernatione, providentia, & sapientia, quæ maximè resplendent in nubium natura, & munere. Hugo Carensis hanc donavit interpretationem: Ego in altissimis habitavi; id est, in viris sanctis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, & expositoribus sanctis, qui fuerunt alti conversatione, altiores contemplatione, altissimi desiderii extensione. Vel certè alti fuerunt, quia supra totum mundum fuerunt; altiores, quia supra se ipsos fuerunt; altissimi, quia cum Deo in caelestibus habitant. Hemistichium verò alterum elucidat de Sapientia judicio, & magisterio in Prælati, & Magistris. Qui sunt recti, plani, erecti, stabiles, fortes, patientes, ut columna; & non debent esse duri, sed mansueti; pluerè doctrinis, cornucopare miraculis, tonare minis.

Varia translationes.

Verborum mens.

Altissima Dei moderatio circa res omnes.

Dionysius Carthul.

Hugo.

In altissimis id est, in sanctis suis Deus habitavit.

In columna nubis, id est, in Prælati & Magistris.

1061 At verò Rabani Mauri Abbatis Fuldenis, & Episcopi Moguntini, interpretatio non hic omittenda, sed laudanda. Hæc illius verba, non ex Glossâ ordinaria, sed ex ipsius operibus quæ apud me habeo: Ego in altissimis habitavi &c. Utramque, inquit, suam naturam, hoc est, divinam & humanam Sapientia Dei Christus nobis hic demonstrat: divinam videlicet in eo, quo dicitur se in altissimis habitare, hoc est, supra omnem altitudinem caelestis regni simul cum Patre, & Spiritu sancto unum Deum regnare. Humanam verò in eo, quo dicit se in columna nubis thronum habere: quia corpus, quod de Spiritu S. conceptum Virgo Mater edidit, nullius peccati pondere prægravatum est, nec terrenarum rerum voluptatibus, desiderisque obligatum; sed supra omnia virtute sublimatum, thronus regie dignitatis emicuit, in quo potentia divinitatis omnia judicia sua potenter disponit, ac dispensat. Quod autem nubes carnem significat Salvatoris, ostendit Isaias c. 19. 1. Ecce Dominus ascendet super nubem levem, &c. Et aptè dicitur Incarnatio Salvatoris columna, propter rectitudinem doctrinæ, & firmitatem operationis; quia electos suos erigit ad querendam salutem perpetuam; & totum aedificium Ecclesiæ suæ ipse portat, atque sustentat. Hactenus Fuldenis Abbas piè, ac rectè.

1062 Verùm nuper dato summatis argumento insistentium. Existimamus quippe, præjecto Versiculo præclarè commendari Regiam ac supremam tum Christi, tum Deiparæ Majestatem. Cui existimationi ut debita splendorem conciliemus, observare nonnulla oportet. Primum, cœlos, præsertim empyreum, appellari à nostro Siracide altissima, vel, juxta donatas aliorum translationes, excelsa, excelsum, sublime: ut pote altissimi, excelsi, ac sublimis Dei sedes, habitatio, ac Regia. Licet enim divina Sapientia, Deus, Deique Filius pro sua immensitate nullis circumscribatur locis, sed infinita locorum spatia repleat; sitque in toto mundo per essentiam, præsentiam, & potentiam; nihilominus tamen habitare dicitur in excelsis, in altissimis, in caelo empyreo, sede quietâ, atque immobili, coruscante splendore admirabilis; theatro pulchritudinis inæstimabilis, in quo sese sancti Angelis, & hominibus videndum præbet, eisque immensas gloriæ suæ divitias possidendas exhibet.

Psal. 112. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super caelos gloria ejus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat? Ex Hebræo vertas cum multis: Qui se elevat ad habitandum; vel ad sedendum: qui in summo, & sublimi deligit sibi sedem: qui sedet, præsidet, & quiescit in alto, in altis calis. Isaiæ 57. 15. Hæc dicit excelsus & sublimis habitans aeternitatem; & sanctum nomen ejus in excelsis, & sancto habitans; LXX. legunt: Hæc dicit Dominus excelsus, in excelsis habitans in aeternum. Hinc illa recens nato Jesu caelestis militiæ cætilena, Luc. 2. 14. Gloria in altissimis Deo. Patres autem Latini multi, apud Toletum nostrum ibi, legunt Gloria in excelsis Deo: id est, in caelis.

Rab. Mauri. Divina, & humana Christi natura designata.

Isai. 19. 1.

Nostra interpretatio de Regia ac suprema Christi, ac Deiparæ Majestate, ab alia habitatione designata.

Psal. 112.

Isai. 57. 15.

Luc. 2. 14.

1063 Rursus, in caelis, maximè empyreo, dicitur habitare; seu habitaculum habere; quia illud in domum amplam, in arcem, in sedem Regiam sibi, suisque delegit. Psal. 10. 4. Dominus in caelo sedes ejus. Et Psal. 102. 19. Dominus in caelo paravit sedem suam: id est, firmavit, stabilivit, ut perpetuò regnet. Isai. 66. 1. Caelum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum. Isaiæ 11. 10. Erit sepulchrum ejus gloriosum. Pro sepulchrum ponitur vox Hebræa, quæ aedes amplas, Regum palatia, & ipsam Regiam significat. Unde cum Forerio vertas: & erit domus ejus, palatium ejus, seu Regia illius gloria.

1064 Appellatur etiam caelum empyreum, juxta datas ex Græco translationes, tabernaculum, seu tentorium. Pro domo accepit Druis. Tabernaculum enim est firmum & stabile, quod è suo loco convellere, aliòque transferre nulla poterit vis. De quo Isaias cap. 33. 20. Respice Sion civitatem sollemnitatis nostræ. Oculi tui videbunt Jerusalem (caelestem) habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit: nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur; quia solummodo ibi magnificatus est Dominus Deus noster. Eterna erit statio habitantium sub hoc Tabernaculo. Pl. 45. 5. Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus: Deus in medio ejus, non commovebitur. Quasi dicitur: Deus est ibi, non illud commovebitur, non mobile erit. De hujus tabernaculi, ac caelestis Regiæ, nempe cæli empyrei splendore, pulchritudine, deliciis, magnificentia, materia, & arte, multa hic in medium profferrem, nisi obvia passim in sacris litteris, & Patribus. Lege cap. Apoc. 21. & 22. & ibi Alcazarem, Cornelium, & alios.

Isai. 33. 20.

Psal. 45. 5.

Thronus Dei Regis nubes.

Cur Elias curru ascendit, Christus vero nube. S. Chryost.

1065 Illud item premamus hemistichium: Et thronus meus in columna nubis. Etenim cælum empyreum, magnificentum Dei habitaculum, mortalium oculis fit inaccessum; inter alia divinæ providentiæ signa & instrumenta, præcipuum extat nubes, à qua Deus, veluti folio quodam magnifico, & throno regio, sese propalam ostendit, suamque exhibet præsentissimam supremam potestatem, & Majestatem Regiam; ut ex innumeris sacrae Scripturae testimoniis claret. Exod. 15. 10. & c. 40. 38. Daniel 7. 13. Apoc. 14. 14. Luc. 21. 27. Videtis Alcazarem in Apoc. 1. v. 7. Notat. 7. de Symbolo nubium, & Pinedam in Job c. 36. 29. Illud hic non omittendum, quod observavit S. Chryostomus in Serm. 3. de Ascensione, dum quaerit cur Elias curru igneo ascendit, Christus verò splendidâ nube. Quando servus vocabatur, curru mittebatur, ut veniret; & quando Filius ascendebat, Dominica sedes occurrebat; nec tantum Dominica, sed & Paterna. Nam & de Patre ejus ait Isaias: Ecce Dominus sedet in nube levit. Et quia Pater sedet in nube, misit & Filio. Ecce Dominicam & Paternam sedem, solium & thronum, quo & Filius gaudet; nubem videlicet, ex qua regia Dei Majestas resplendet.

De Columna nubis, & ignis, qua Deus Hebræos per desertum ducit.

1066 Ceterum, quia à nostro Siracide specialis fit respectus (ut communis fert Interpretum observatio) ad columnam illam nubis & ignis, quâ Deus Israelitis viam ignoti deserti manifestabat, pretium operæ

erit, nonnulla de illa observare, quæ dicendis infra de Christo, ac Deipara lucem offundant. In primis fit hujus columnæ mentio Exod. 13. 21. & c. 14. 19. & c. 40. 36. Numer. 9. 15. & 20. & c. 14. 14. Deuter. 1. 33. Eldræ 9. 12. & 19. Psal. 77. 14. Psal. 98. 7. Psal. 104. 39. Sapientia 10. 17. & c. 18. 3. & c. 19. 7. Secundò, cum hæc columna esset magnificentum ductoris Dei solium, ac Regis throni gradientem populum gubernantis; ejus materiam & formam indagare oportet. Materia illius nubi candida ac lucida, mirisque variatæ coloribus similis erat, etsi purior, densior ac solidior. Solari splendore lucens interdum, ait Philo lib. 1. de vita Moysis. Quod etiam videtur exprimi Philo. Sap. 18. 3. Solem sine lasura boni hospitis præstitisti eis. Id est (interprete Cornelio Exod. 13. 21.) columna illa Hebræis fuit quasi Sol non urens, sed præfulgens ad peregrinationem, & bona hospitia. Luciente y dorada nube era del Sol, que con sus raios la trocaba en ascuas del oro. Quamcumque aliam materiam pretiosissimam facile superabat. Tertio, unum eandemque columnam fuisse, illam, quæ appellatur nubis, & eam quæ ignis vocatur, communior est existimatio. Per diem speciem splendidâ nubis habebat; per noctem verò ignis non urentis, sed lucentis; unde ignea dicitur, non quia vero igne rutilaret, sed igneo colore & splendoro: ut videtur patere ex Num. 9. 15. A vesperè autem super tentorium erat quasi species ignis usque mane. Certè ut nocte illuminaret quasi fax ignis, ei Deus ingentem lucis copiam indabat, quin Hebræorum castra alio indigerent lumine.

1067 Quarto, forma hujus nubis, secundum rectam figuram, solidam ac consistentem densitatem, columna erat, ut claret ex locis relatis. Ejus basis tegebat tabernaculum; deinde ita in sublime porrigebatur, ut posset undequaque etiam è longinquo, cerni ab innumeris Hebræorum populo, amplissimum sanè spatium decem, vel duodecim milliarum Italicorum occupante. Neque obest Regii Thronolico vocabulo, columna species: cum in sacris litteris non semel columna sumatur pro tribunali Regioque throno. 2. Paral. 34. 31. Legit Rex omnia verba voluminis, stans in tribunali suo. LXX. legunt: Stetit Rex super columnam. Et 4. Reg. 23. v. 3. Stetit Rex super gradum. LXX. Stetit Rex ad columnam. Ubi Tigurina: Rex stans juxta columnam. Et Vatablus ibi: Stans Rex in sede, sive Solio, vel in suggesto. Sumitur enim sæpè columna pro suggesto, aut cathedra, ut observat eruditè noster Pineda lib. 3. de rebus Salomon. c. 28. n. 4.

1068 Porrò, cum columna hæc, Regius esset Dei ipsius thronus, & tribunal, à quo ipse suum populum regebat, protegebat, illuminabat, & obumbrabat per quadraginta annorum spatium; suo tegebatur tecto, quod ei erat pro caelo, seu umbraculo ita expanso, ut facile tricies centena hominum millia protegeret, ac defenderet à solis ardoribus, à frigore, & tempestate: ut enim Paulus 1. Corinth. 10. 1. Patres nostri omnes sub nube fuerunt. Ab hoc Regii throni integumento cortinæ ad terram usque demittebantur quandoque, ut viatores Israelitas ab ingruentibus sæpè ventorum flatibus vehementibus facile liberaret. Neque deerat huic regali folio ornatus eximius, & ad speciem præclarissimus: qualem describunt in Regis throni auctores externi. Plutar-

Columna illa de crubili throni manifesti, aurati, gemmati, splendissimi, cum suis integumentis.

Magnificum ductoris Dei solium.

Materia illius splendidi.

Vna eademque columna erat nubis, & ignis.

Num. 9. 15.

Columna illa de crubili throni manifesti, aurati, gemmati, splendissimi, cum suis integumentis.

Columna illa de crubili throni manifesti, aurati, gemmati, splendissimi, cum suis integumentis.

Columna illa de crubili throni manifesti, aurati, gemmati, splendissimi, cum suis integumentis.

Columna illa de crubili throni manifesti, aurati, gemmati, splendissimi, cum suis integumentis.

Columna illa de crubili throni manifesti, aurati, gemmati, splendissimi, cum suis integumentis.